

Franz Albert Aepinus

**Academiae Varniacae Rector, Franc. Albert. Aepinus ... Funebri Hoc Programmate  
Ad Exequias Matronae ... Annae Niemanniae, Gente Deckeriae, Viri ... Nunc Beati  
Domini Michaelis Niemanni, Senatoris Qvondam Rostochiensis Optime Meriti.  
Relictae Decennali Viduae, Hodie Consveto Christianorum Ritu Paratas, Freqventi  
Suo Comitatu Cohonestandas Ac Prosequendas Cives Academios ... Invitat**

Rostochii: Typis Ioan. Iacob. Adleri, [1739?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793494819>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Proboten Proboten-Programme, meist  
Fotokopien in Proboten Einzelexemplaren Familien bzw.  
Größen Heile und dem nächsten Jahrgang.  
Originaltitel vorhanden.

Litr. A - H.

Im Juni 1859 und dem Nachlaß des Grafen Leopold Piper  
zu Güstrow erworben.

(Zurück aus der Sammlung v. Klein, v. Kravitz u. a.)

82 Stücke

Mklb Gen

2/3I-40



Revis.  
1833.

F. A. Aepinus, + 1758.

J. F. Brüll, + 1757.

A. Ahrend, + 1730.

J. A. Curtius, + 1740.

Anna Kohl, n. Ampel, + 1709.

J. Ch. Dancwarth, + 1755.

Cath. Ampel, vid. Klein, + 1725.

Magd. Brand, ux. O. P. Möleri, + 1733.

Anna Decker, conj. Meinauni, + 1739.

J. H. Balke, + 1778.

G. Deharding, + 1747.

J. H. Becker, + 1774.

Georg. Jul. Dittmar, ux. J. Carmon.

P. Becker, + 1753.

Ag. Doercks, conj. F. A. Aepini, + 1736.

J. J. Bentzen, + 1725.

Cath. Marg. Beselin, vid. Jac. Burgmann, + 1731.

Ch. Doercks, mar. Nettelbladt, + 1753.

Just. Reg. Beselin et Ann. U. Hever, vid.

Marg. Doercks, mar. Lief, + 1755.

Ch. M. Steven. Ross, + 1742.

J. A. Düve, + 1728.

V. J. Beselin, + 1755.

Cath. Bloeksdorff, vid. Viet. Puffer,

Ann. Soph. Eggerdes, ux. G. Ch. Handwigen,

+ 1715.

+ 1743.

Cath. Burchard, n. Bourgund, + 1740.

Matth. Joh. Eggerdes, + 1718.

Ch. M. Burchard, + 1742.

Matth. Hinr. Eggerdes, + 1722.

Jac. Burgmann, + 1724.

J. L. Engel, + 1758.

J. H. Burgmann, + 1746.

H. A. Engelen, + 1734.

J. P. Burgmann, + 1775.

H. Ch. Engelen, + 1742.

J. Carmon, + 1743.

J. F. Eyllers, + 1749.

J. H. Carstens, + 1731.

Chr. Ed. Forster, vid. Ch. R. Holten, + 1734.

J. F. Celle, + 1729.

Cath. Chr. Fischer, vid. A. Willebrandt,

P. Biese, + 1746.

+ 1742.

Ann. Cath. Coeh, + 1726.

Hel. de Klein, nat. Gerdjen, + 1730.

G. Crause, + 1723.

P. Gerling, + 1778.

Ch. Crule, + 1748.

H. Goltermann, + 1733.

Ann. El. Groth, vid. Krauel, + 1739.

Alb. Fleins, + 1733.

Matth. Ben. Hering, + 1750.

G. Herkepäus, + 1745.

Cath. Mar. Eyler, geb. Kitten, + 1756.

Ann. Soph. Kolsten, conj. J. D. Spalding, + 1740.

El. Kopp, norm. Crull, + 1766.

Ann. Hedro. Korn, conj. V. J. Bepelin, + 1730.

El. J. Jörck, + 1728.

Joh. Joach. Jörck, + 1729.

P. Chr. Kämpfer, + 1755.

Joh. de Klein, + 1732.

Wend. Kleinschmidt, vid. J. J. Bepelin,  
+ 1726.

Ann. Marg. Knefbeck, conj. H. Golden-  
mann, + 1738.

A. L. Knefbeck, norm. Hoppen, + 1747.

D. H. Koepcken, + 1731.

G. W. Koepcken, + 1732.

F. E. Kohl, + 1738.

Anna Kortholt, vid. J. Lindemanni,  
+ 1743.

A. J. v. Krackevitz, + 1732.

J. Krauel, + 1750.

ACADEMIÆ VARNIACÆ RECTOR,  
**FRANC. ALBERT. ÆPINUS,**

S. THEOL. D. PROF. DUCAL. PUBL. ET CONSIL. CONSISTOR.

**FUNEBRI HOC PROGRAMMATE**

AD EXEQVIAS

MATRONÆ PRÆNOBILISSIMÆ, PIETATIS O-  
MNIUMQVE MULIEBRIUM VIRTUTUM CORONA  
EXORNATISSIMÆ,

**ANNÆ NIEMANNIÆ,**

Gente **DECKERIÆ,**

VIRI PRÆNOBILISS. AMPLISS. AC PRUDENTISS. NUNC BEATI

**DOMINI MICHAELIS  
NIEMANNI,**

SENATORIS QVONDAM ROSTOCHIENSIS OPTIME MERITI,

RELICTÆ DECENNALI VIDUÆ,

HODIE CONSVETO CHRISTIANORUM RITU PARATAS,

FREQVENTI SUO COMITATU COHONESTANDAS AC PROSEQVENDAS

**CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS,**

QVA PAR EST, OBSERVANTIA ATQVE HUMANITATE  
CONVOCAT AC INVITAT.



**R O S T O C H I I,**

Typis IOAN. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



Mnium in mundo hoc inferiori rerum varias contingere vicissitudines atque mutationes, tandemque finem etiam earum dari, experientia, qua nulla testis melior, docente, constat inter omnes, adeo quidem, ut vel quolibet notissimo notius nobis censendum sit. Cum primis autem in actionibus, fati, ipsaque via a mortali-um id cernere & experiri datur, quippe quos omnium maximè iisdem deprehendimus obnoxios. Non vero nunc animo sedet, vel fatorum eorundem diversitatis atque vicissitudinum facere mentionem, nec actionum illorum inconstantiam, a quibuscunque causis, quæ variæ solent esse, ea dependeat, exaggerare; sed vitam eorum ipsam, occasione scribendi nobis oblata conformiter, haud tamen omnes, qui nobis in eadem obvenire possunt, casus, sed exitum tandem ex illa duntaxat, quantum scopi ratio permittet, ad ulteriorem meditationem, contemplationi nostræ subjiciemus. Inter mortales namque viventes, deque mortuis dicturi, quid, quæso, æquius, quid convenientius, quid nobis ipsis conducibilius magisve fructuosum arbitrabimur, quam propriam meditari mortem, deque morte, quantum licuerit, commentari? Quandoquidem autem & circa eam ipsam plura, quæ haud inutiliter proferri possent, occurrunt; hac tamen vice, reliquis sepositis, de illius in genus humanum introitu ac origine, antequam ad primum scripturæ hujus scopum accedemus, pauca quædam præfabimur. Atque hoc eò magis, quoniam certi sumus convictique, homines non a DEO mortales, sed ad vitam immortales conditos, & amissâ, quam sibi concreatam gerebant, imagine divinâ, morti demum subjectos & ob-

noxios

noxios factos esse. Non equidem deesse, novimus, qui putent, mortem temporalem non in statu corruptionis hominum duntaxat ortum habere, sed in ipso quoque integritatis statu, in eodem etiamsi persticissemus, locum habituram fuisse: non peccato contractam, sed ex ipsius corporis, utpote terreni & ex terræ pulvere producti, natura & intrinsicâ constitutione fluentem, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, homini moriendum fuisset. Nimis, pro præsentis præfatiunculæ brevioris scopo, prolixum foret, qui heic in diversum abeunt, omnes recensere; prolixius propria singulorum allegare verba; & refutationem illorum accuratiorem instituere, omnium prolixissimum. Allegandi quippe sic & refutandi forent Pelagiani, Sociniani, Arminiani, Anabaptistæ aliique magno numero, veteres pariter atque recentiores, Fanatici, quin & Pontificii, & Syncretistæ, quorum omnium vel expressa verba, vel loca saltem, ubi suam de hocce sententiam prodidere, QVFNSTEDIUS *Part. II. Syst. Theol. Cap. 1. Sect. II. Qv. 6.* citavit. Jungendus autem istis etiam esset ISAACUS PEYRERIUS, Præadamitarum ille Plasta decantatissimus, duplicem confingens hominis mortem: naturalem atque legalem, sicuti duplex statuit peccatum: alterum Adamo ex materia peccatrice, ex qua productum eum asserit, adhærens, ob quod non peccare non potuerit, etiam antequam ipsi lex præscripta, unde per naturam moriendum ipsi fuisset; alterum, quod contra legem sibi latam prævaricando patrasset, morte propterea quoque puniendus. Vid. ejus *System. Theol. ex Præadamitar. hypothesi Lib. 1. cap. 3.* Sed & nominandus hic permultis in rem Literariam magnisque meritis celeberrimus ille, post Hugonem Grotium, sanioris doctrinæ Juris Naturalis instaurator & vindex, PUFENDORFFIUS, & ipse *Jur. Feclal. Divin. §. 24.* corporis humani machinam, statuens, ex materiâ per naturam fragili compositam, continuo particularum motu & successione non potuisse non paulatim alterari, ita ut demum non posset non destructio ejusdem ultrò consequi. Quod ex hodiernâ corporum conditione deducit, dum, juxta naturæ ac motus legem, corporeæ partes inter se frequenter collisæ successu temporis & atteruntur, & amissâ tandem priori formâ, paulatim ad machinæ destructionem disponuntur. Ex quibus apparet, Virum in eâ cum aliis opinione fuisse, mortalitatem ac corruptibilitatem corporum humanorum in se quidem & per se abs eorum constitutione primæva dependere, propter peccatum autem moriendi necessitatem mortalibus demum impositam esse. Verum enim verò, quotcunque sint quantive ceteroquin, qui, citra respectum status nostri peccato corrupti, mortem ut ipsius humanæ naturæ sequelam, ex indole ac constitutione corporis per se fluentem, respiciunt; aliter longè nos, prorsusque contrarium, revelatum in Scripturarum Codice Verbum divinum edocet. Ex hoc namque discimus, primum hominum par à DEO immortale fuisse conditum, ut immortalitatem eorum ad concreatam ipsis imaginem divinam, ceu partem istius, non quidem primariam & principalem, attamen minus principalem seu secundariam, referre, nulli dubitemus. Immortalitatem autem Protoplastorum intelligimus, non simpliciter, sed secundum quid talem, quod scilicet nullum in se ipsis dissolutionis atque corruptionis principium haberent, sed solo integræ suæ naturæ beneficio perpetuò vivere, sineque præviâ



præviâ morte, fortassis ad similitudinem eorum; quos Paulus non obdormituros quidem, attamen ad spiritualitatem atque glorificationem corporum immutandos, 1. Cor. XV. 51. dixit, regnum cœlorum ingredi potuissent, tametsi DEUS, si voluisset, animas eorum à corporibus sejungere, corporaque à semet exstructa destruere potuisset. Immortalitate gaudebant non per essentiam & independenter; sed dependenter à gratiâ & voluntate divinâ. Non absoluta; sed hypotheticâ, si scilicet in concreatâ veritate persisterent; & ordinatâ, nimirum ad cibum & potum in alimentum assumendum, cum primis & ad esum fructus arboris vetitæ, prout ex Gen. III. 22. 23. 24. satis apertè concludendum. Quæ tamen illis media fuissent, non à morte præservativa, sed corporis duntaxat nutritiva, vitæque viriumque conservativa. Paucis ut, quod res est, dicamus, immortalis primus homo fuit, non, quod non potuerit mori, sed, quod potuerit non-mori, si videlicet debite se gereret, mortem evitaturus, adeoque, si mavis, non-mortalis dicendus. Interim, asserta licet corporis Adamitici, in statu integritatis, immortalitate, minimè tamen ex illa concludi poterit, ipsum, quoad essentiam consideratum, prorsus aliud, atque multum differentis à nostris hodie corporibus naturæ, constitutionis ac indolis fuisse, immortale quidem & incorruptibile, sed longe subtilius, solidius, spirituale, splendens, luminosum atque pellucidum, quale confingunt, Antoniam Bourignoniam secutus, PETR. POIRETUS, *Lib. I. Oeconom. Div. Cap. XXII. §. XI. Auctor Observationis sexta Tom. IX. Observation. ad rem Literar. spectant. s. Hallenf. Christ. Democritus s. Job. Conrad. DIPPELIUS in dem Wegweiser zum verlohrenen Licht und Recht Cap. I. & II. passim.* Nullâ namque ratione sententia hæcce probari, nec evinci potest è statu vel claritate corporum ad vitam æternam resurgentium atque glorificatorum, prouti 1. Cor. XV. 40. *sqv.* describitur, quem talem dicunt futurum esse, qualis primitivus ille fuerit, in quo creatum olim Adami corpus. Nam in illo statu homines primi nondum erant beati, sed in statu gratiæ adhuc constituti, tanquam viatores ad æternam beatitudinem gloriamque contendentes. Et cur DEUS non corpus ejusdem cum nostro, quoad speciem, substantiæ ita creare potuisset, ut nullum in eo daretur mortis, sive corruptionis & destructionis principium intrinsecum? Sed ad imaginem divinam, ceu diximus, hanc immortalitatem corporis pertinuisse, probatu haud est difficile. Quicquid enim à DEO homini concreatum, lapsu illius deperditum & amissum est, per Christum autem restauratum nobisque restitutum, id imaginis divinæ partem utique fuisse, nemo temerè negabit. At verò, Salvatorem meritoriâ suâ resurrectione nobis immortalitatem corporis reparasse ac restituisse, claris Apostolus verbis edisserit 1. Cor. XV. 20-24. Christum resurrectionis nostræ causam esse, dicens. Resurgent verò corpora nostra morti non ulterius obnoxia, sed immortalia & incorruptibilia, v. 42 53 54. siquidem spiritualia futura sunt, v. 44. Jam autem v. 49. concludit: *Quemadmodum gestavimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem supra-cœlestis.* Sicut igitur in alterâ vitâ immortalitas corporis per resurrectionem à morte nobis restaurabitur, atque resurgentes imaginem divinam recuperabimus; ita in statu integritatis hominum etiam, ante mortis introitum, immortalitatem corporis imaginis divinæ partem, quantumlibet minùs principalem, existisse, ultrò consequitur. Quæ

Quæ cum ita se habeant, undenam igitur in genus humanum  
 introducta mors ortum suum traxit? A quibus illa causis provenit?  
 Non vacat omnia singulaque, alioquin hic dicenda, attingere: qua-  
 propter in compendio quasi rem nobis exponet Apostolus, *Rom. V. 12. Per*  
*unum hominem, scribens, peccatum in mundum introivit, & per peccatum*  
*mors, atque sic in omnes homines mors pertransiit, quatenus omnes peccaverunt.*  
 En! ita causas peccati proximas indicatas. Remota verò primaque  
 illius causa Diabolus est, irreconciliabilis ille DEI, Auctoris vitæ, pa-  
 riter ac generis humani hostis, quem ideò Salvator ipse *homicidam ab*  
*initio, Joh. IX. 44. pronunciat, & Auctor libri Sapient. II. 24. invidia Di-*  
*aboli mortem in mundum intrasse, scribit. Scilicet, ex Gen. III. 1. Jqv. notum*  
 est, Diabolum mendaci suâ svasione Evam induxisse, quæ legem Para-  
 disiacam, *Gen. II. 16. 17. divinitus latam, comedendo fructum arboris*  
*vetitæ, transgrederetur, cum ipse non ignoraret, prævaricationem*  
*hanc mortem, non Protoplastorum solùm, sed omnium etiam eorum*  
*posterorum, ab illis descendentium, insequuturam esse. Ita dum ad*  
*peccandum primos parentes nostros, Evam quidem immediatè, Ada-*  
*mmum mediate, sollicitavit, unâ cum peccato consequens illius, mortem,*  
 in universum genus humanum invexit. Nam causa causæ cujuscumque,  
 hujus quoque causati causa existit. Quodsi verò de DEO quærat, is  
 certè mortem hominum, hos producendo, non intendit, sed non-mor-  
 tales eos creavit, & morte viventium non delectatur, *Sap. II. 13. adeò-*  
 que mortis causa non est, nisi quatenus ut justus judex primis homini-  
 bus immortalitatis donum subtraxit, quomodo morti, quam promeru-  
 erant, subjecti sunt & obnoxii facti. Prohibuerat illis etenim DEUS  
 esum fructus arboris scientiæ boni & mali, junctâ comminatione, quod  
 contra facientes ipsi se in mortem essent præcipitaturi, *Gen. II. 17. At*  
 ipsi, neglectâ legi huic additâ comminatione, à Diabolo se persuaderi  
 patiebantur, ut interdictum agerent, mendacio Diaboli plus, quam ve-  
 racitati DEI, fidei tribuendo, reatum culpæ pariter ac pœnæ sibi con-  
 trahentes. Hinc ergo DEUS justitiâ suâ motus, adeoque non nisi vo-  
 luntate tantum consequente judiciariâ, in veracitatis suæ demonstrati-  
 onem, morti eos subjecit, sicuti prædixerat, & culpam pœna insequu-  
 ta est. Idcirco inter alias & hæc adversus hominem sententia fereba-  
 tur, ut in terram, unde sumtus est, reverteretur, *Gen. III. 19. & Rom. VI.*  
*23. mors stipendium peccati dicitur. Quid verò? Num etiam ex par-*  
 te piorum, in verâ fide hinc decedentium, mors pœna dicenda erit?  
 Cum tamen Christus non pro peccatis nostris solùm, sed omnibus et-  
 iam peccatorum pœnis satisfecerit, & Apostolus *Rom. IX. 1. diserte te-*  
 stetur, quod nullum *κατάκριμα*, seu nihil condemnationis sit iis, qui in  
 Christo Jesu non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum,  
 i. e. fidelibus. Deprehenduntur heic etiam diversæ Theologorum  
 Reformatorum opiniones, sed nolumus, quibus non licet esse proluxio-  
 res, controversiam hac inter *Herm. Alex. ROELLIUM & Campeg.*  
*VITRINGAM, haud incelebres Theologos Batavos, recentius agita-*  
*tam discutere, sed Lectorem ablegamus ad B. GRAPPII nostri Christolog.*  
*recens. Controvers. quæ secundam Theol. rec. Contr. partem constituit,*  
*Qu. 14. Inter ipsos quoque Nostrates aliquod hic sententiarum obser-*  
 vare divortium datur de eo, num mors temporalis etiam sit illa pœna,  
 quam

quam Lex Paradisiaca sui transgressoribus dicitaverit? de quo videntur erit B. FECHTIUS *Lection. in Syllog. Controversiar. Recentior. ad Disp. XVI. §. 2.* Nobis autem sufficere debet, rem, uti se habet, quantâ fieri potest, paucitate verborum exposuisse, vel saltem de eâ mentem declarasse nostram. Generatim quidem loquendo, mortem peccati pœnam esse, paulò antè jam assertum ivimus. Adeoque quoad infideles & in impietate hinc abeuntes eam esse pœnam propriè strictèque dictam, dubium habere nullum potest, utpote quibus non solum ob peccatum, sed & ad vindicandum illud à justitiâ DEI punitivâ iniis infligitur. Respectu fidelium autem atque piorum si mortem consideramus, non nisi latiori in significatione pœnæ nomine venire potest. His namque contingit ea propter peccatum quidem: sine hoc namque si essent, nihil, certè, mors in eos potestatis haberet; minimè verò ad ipsum in illis vindicandum, sed castigationis tantum, ac veracitatis divinæ demonstrandæ ergo. Et hoc idem fortassis nonnulli volunt, inter pœnalitatem ex peccato ortam, & cum morte, fidelium quoque, semper conjunctam; & pœnam, à fidelibus morientibus per Christi satisfactionem sublatam. Sic ergo per se quidem peccati pœna mors est, per accidens autem credentibus DEoque per Christum reconciliatis & à reatu peccati absolutis seu justificatis (siquidem sublato reatu culpæ, pœnæ reatus locum amplius non invenit) pœna, saltem propriè strictèque dicta, non est, nec dici poterit. Cum hac enim consistere non possunt elogia morti fidelium in Scripturis passim tributa, quando nunc somno comparatur, *Joh. XI. 11.* nunc transitus in vitam, *Joh. V. 24.* Analysis exoptata, *Luc. II. 29.* *Phil. I. 23.* ingressus à laboribus in requiem, *Es. LVII. 2.* *Apoç. XIV. 13.* & aliis nil nisi bonum & salutare quid exprimentibus nominibus appellatur. Non est igitur fidelibus, cur mortem metuant, certi, non à justitiâ Judicis, sed à benevolentia Patris sibi eandem immitti.

Quàmobrem felicem meritò prædicamus Matronam, cujus cineres hodie terræ gremio sunt inferendi, morte non à Judice punitam, sed à Patre cœlesti, præviâ hac brevi castigatione, ad æterna in cœlo gaudia translata, Prænobilissimam, & quoad usque nos inter vixit, virtutum matronalium splendore coruscantem, ANNAM NIEMANNIAM, nativitate DECKERIAM, cujus ad senium canosque provecæ vitæ curriculum omninò hîc legi, posterisque commendari meretur.

Lucem adspexit illa, mundumque hunc ingressa est hîc loci, Anno Seculi superioris supra sexagesimum quinto, Parentibus honestatis ac integritatis laude post fata quoque conspicuis prognata.

Patrem ejus fuisse, compertum habemus, Virum, cum hinc emigraret, senio canisque spectabilem & Nobilissimum, B. JOACHIMUM DECKER, inter primarios numerandum Civem, & Societatis Mercatorum Seniore, templique D. Virgini Mariæ olim consecrati Præfectum ac Curatorem fidelissimum vigilantissimumque.

Matrem osculata fuit à pietate virtutibusque sexus sui ceteris laudatissimam Matronam, ANNAM CATHARINAM BATTEN, quam itidem, provecioris jam ætatis cum esset, diem suum supremum obiisse, recordamur.

Avum

*Avum* Paternæ lineæ agnovit Virum eximium & præstantissimum, Osnabrugæ Gvestphalorum Civem florentissimum, DIETERICUM DECKER. *Aviam* autem ejusdem lineæ salutavit à pietate virtutibusque celebratam Fœminam, AGNETAM HÖRSCHERS.

In linea materna venerata est *Avum*, Virum Prænobiliss. Ampliss. ac Consultiss. LEVINUM BATTUM, J. V. D. & Vicarium ejusdem in hac Academiâ Professore fulgidissimum, Dicafterii Provincial. ut & Ducal. Consistorii Advocatum & Procuratorem dexterrimum. Qui conjugali sibi fœdere junctam, matronalium virtutum ornamentis conspicuam Nobilissimamque, CATHARINAM PANCKLOVIAM, Delectæ Nostræ *Aviam* maternam conciliavit.

A laudatis hisce Parentibus ortum BEATA traxit, tempore loquoque supra jam indicatis. At quoniam carnalis nostra nativitas ad vitam æternam nos ducere non potest, quin potius, juxta superiora, morti tam temporali, quam æternæ, nos subjiciat, idcirco provida Parentum ejus cura spiritualem ipsius regenerationem sine morâ promovere non intermisit. Neque, cum illa paulatim adolescere inciperet, quod ad ejus cum temporale, tum æternum bonum commodumque vergeret, neglexit. Præcipuè Parentes optimi sollicitudinem impenderunt omnem, ut hæc sua filiola dilectissima primis statim ætatis annis, Christianismi fundamenta non modò doceretur, sed amor etiam & timor DEI, cum omni non fucatâ, qualis hodie, proh ! multorum est, pietate, animo illius instillaretur. Quod cum feliciter succederet, provida præsertim Genitrix, ut ad curas etiam rerum domesticarum ritè gerendas, negotiaque rei familiaris tractanda tempestivè manderetur, non solum consultum duxit, sed & suo proprio illi exemplo præeundo, sollicite non minus, ac solerter curavit, quibus NOSTRA hinc ita fuit adsueta deditaque, ut in illis, senium licet jam agens, summam delectationem inveniret, contestantibus, qui propiorum ejus adepti notitiam fuere. Ceteræ quoque virgineæ virtutes tantum abest ut ei defuerint, ut iis potius talem in modum exornata laudaretur, quæ multis aliis esse posset exemplo.

Quæ tantæ dotes animum illi, laudati jam in rubro, Mariti sui, ante decennii decursum in DEO defuncti, DN. MICHAELIS NIEMANNI, Mercatoris tum apud nos florentissimi, postmodum Senatoris Prudentissimi, de publicâ re perbenè meriti, conciliaverant, ut eam sibi jugali vinculo copulandam expeteret. Cui proinde nuptum à Parentibus data est, Annoque MDCLXXXV. d. 29. Octobr. interveniente ritu Christianorum sacerdotali benedictione, junctâ. Concors, placidum suaveque cum eo, Anno Seculi nostri vicesimo nono beatè demortuo, per quatuor annos ultra decem lustra, conjugium duxit, variis à divinâ bonitate beneficiis beatum. Nec improle fuit id ipsum, sed BEATA filium enixa est An. insequente MDCLXXXVI. d. 14. mensis Augusti, cui, quod & Genitor gerebat, JOACHIMI prænomen in sacro lavacro impositum, ast ætatem floridam agentem, An. MDCCIV. d. 25. ejusdem mensis Augusti, adeoque annis octodecim vivendo vix superatis, beatâ analysi è mortalium numero exemptum. Elapso deinde quadriennio, peperit & filiam, An. MDCXC. d. 25. Novembr. hodie, DEI gratia, superstitem, tristeque dulcissimæ Ma-

tri funus apparantem, Fœminam Nobiliff. & eximiis sexus sui virtutibus præfulgidam, ANNAM CATHARINAM DECKEN, in matrimonium An. MDCCXVI. d. 12. Novembr. collocatam Viro Nobiliff. ac Præstantiff. DN. WILHELMO PREHN, Civi primario & Mercatori fulgidissimo, Hæreditario in Hohen-Schwarffs, & nunc etiam Ærarii Provincialis Præfecto dexterrimo solertissimoque. Ex hoc felici conjugio DEFUNCTA dulce consequuta fuit Avia nomen, unum ex eodem susceptum osculata nepotem, Juvenem florentissimum, MICHALEM EBERHARDUM, paternis vestigiis insistentem, & in mercaturâ probè jam exercitatum; & neptem unam, ANNAM IL-SABEN, Virginem lætissimam, Avia pariter atque Matris virtutes feliciter æmulantem, illum Anno MDCCXVII. d. 3. Septembr. hanc biennio post, d. 31. Augusti in lucem editos. In quibus educandis ac ad pietatem ceterasque virtutes manuducendis adeo segnis B. Avia non fuit, ut id gaudio potius sibi duxerit maximoque oblectamento: quapropter & ipsi nunc istius abitum eo gravius dolent, perpetuam ejus in pectore gratissimo memoriam servantes ac retinentes.

Nobis autem jam ad extrema BEATÆ NOSTRÆ contemplanda progrediendum erit, de quibus vero melius nos certiores reddere nemo poterit, ac qui corporis ejus & valetudinis, plurium annorum spatio, curam egit, Medicus Excellentissimus, Prænobilissimus & Expertissimus DN. CHRISTOPH. MART. BURCHARDUS, Med. D. & Prof. Publ. famigeratissimus, Facultatis suæ Senior Venerandus, & Poliater Rostochiensium felicissimus, Fautor ac Collega noster magnopere colendus, quippe qui statum sanitatis Defunctæ, & novissimi cum primis morbi, nitide conscripsit, cujus igitur propria verba hic legenda dabimus, ita sonantia:

*Quantum ad sanitatis conservationem faciat vita negotiosa, sive laboriosa, beate Defuncta suo testari poterit exemplo, ad extremum usque senium florida, succiplena, alacris, & ad officia domestica expedita: Nam licet haberet in quas istas curas devolveret, iis tamen præesse maluit, quam desidem in molli ocio transigere ætatem. Hinc & appetitu semper valuit, nullis gravioribus morbis obnoxia, nisi quod per vices flatulentiam præcordiorum, interdum etiam membrorum aliquam ex plethora gravitatem pateretur; quam ultimam tamen facile largiori Venæ sectione; istam vero leni evacuante superabat. Verum enim vero, ipsam senectutem, morbum esse penitus insuperabilem, ex ipsius etiam discimus exemplo. Per ultimum enim biennium ad somnolentiam inconsuetam magis proclivis, ne quidem inter confabulationes cum amicis, aut in ipso prandio, evitare semper poterat, quin somno, satis nonnunquam profundo, obdormisceret. Quamvis autem somnolentia talis de successive obrepente Cerebri atonia indicium afferat, & morbos*

bos graviores capitis plerumque minuetur, non tamen quicquam eam curavit; nec in ipso capite prima morbi funesti sedes pronata; nisi forte reliquorum viscerum imbecillitas, successive se magis prodens, exinde, tanquam primo fonte, derivanda sit. Die namque XIII. Mensis Novembris, præteriti anni, nocturno tempore, sine manifesta causa, nisi quod corpus forte diutius frigori exposuisset, Catarrho Suffocativo, cum pectoris insigni stridore, correpta, ob non satis promptum Chirurghi accessum, vix vitæ periculum effugit: effugit tamen, post depletas sectione venas, mox sibi restituta. Post octiduum tamen idem malum repullulans, cum spumosi ac floridi sanguinis per os excretionem, novas vitæ insidias struebat; eadem tamen ratione feliciter discussum. Reliquum hiemis satis commode est transactum. Die III. tamen Aprilis, Febris Continua cum insigni æstu, & siti fere clamosa, prorumpens, extreme minari videbatur: pulsus enim magnus quidem & frequens, ast non intermittens solum, sed & inequalis ac caprizans aderat; præterea summæ præcordiorum anxietates, cum vomendi conatibus junctæ, aut reciprocantes, vires in senili corpore maximo pere prosternebant. Ceteram & hunc morbum naturæ suæ bonitate superavit, intra nonum diem ab omnibus molestiis immunis. Rediere etiam appetitus, & alia valetudinis prosperæ signa, nisi quod pulsus, à febrili quidem commotione remittens, inequalitatem suam servaret, per vices intermittens, mox hunc defectum citatori impetu, aut conduplicato quasi motu reficiens: signum infallibile, adesse in organis, circulationi inservientibus, vitium aliquod, horum mechanismum ledens, & remoram aut impedimentum sanguinis motui inferens. Credibile quoque, in Renum substantia Parenchymatica, sive potius Vasculosa, corruptionem ex præcedente febre contigisse, cum urina statim plane præternaturalem colorem, & consistentiam, præ se ferret, crassam, turbidam, brunnam, per vices quoque cruentam, eamque etiam ad vitæ servaret finem. Nullus interim circa lumbos dolor; sine dubio, quod Pelvis, & Ureteres, partes maxime sensibiles, à læsione fuerint immunes.

Itaque quamvis rite rursus appeteret, nec corpus ex febre collapsum, aut extenuatum esset, Natura tamen a pristino vigore dejecta, nullum exinde percipiebat emolumentum: potius per vices recurrentes commotiones febriles, summis præcordiorum anxietatibus jugiter stipatæ, novam vim corpori inferant,

C

rebant, ejusque successive depascebant vires. Accedebat tandem hydropica intumescencia, ab imis pedibus intra paucos dies ad inguina proserpens, ac novam adstantibus injiciens curam. Licet autem & hujus progressus sisteretur, ut abdomen ipsum non occuparet, certe non in molem præternaturalem distenderet, supervenit tamen Die II. Junii nova febrilis recrudescencia, quam postero die excipiebat Coma Somnolentum, & tertio denique, circa horam nonam vespertinam mors; nam cum forte expergefata in somnum rursus recideret, mox resoluta placide exspiravit.

Hæc corporis quidem Medicus hucusque. Cogitandum vero non est, BEATAM sequioris duntaxat sui partis, corporis, curam habuisse, vel haberi voluisse, posthabita neglectave nobiliori, nimirum anima, per quam homines sumus, ab animantibus reliquis distincti. Quantumlibet enim pietatis per omnem hanc vitam quam studiosissima fuerit; haud tamen ignorabat, Adami quippe progenies, quantum mali sedem in anima suam fixisset, quantis eadem morbis laboraret, quodque consequens & effectus eorum aliquando mors esset futura. His itaque tempestive salutaria remedia eam opposuisse, quotidianam peccatorum pœnitentiam agendo, vera fide ad Christi vulnera confugiendo, satisfactionem ejus atque meritum toto corde fiducialiter apprehendendo sibi que applicando, quis ambigere velit? Quod etiamsi quotidianum suum officium omnino duxerit, nec ejus unquam vel oblita, vel negligens fuerit deprehensa, nullum tamen superesse nobis dubium potest, quin postremis his vitæ præsertim annis, ex quo cum infirmitatibus ac morbis, mortis illis prænunciis, ipsi conflictandum fuit, mortalitatem suam serio meditata, sic ad exitum ex mundo se præparaverit, ut ne mors sibi pœna, sed per & propter Christum, transitus fieret ad vitam meliorem. De quo utut plura dici heic possent, id tamen haud opus fore, reor, feriis nobis factis abs Plurimum Rever. Præcellentiss. Religiosissimoque BEATÆ Confessionario, DN. M. JOACH. WILH. GERLINGIO, Concionis hic Marianæ Pastore longe optime merito, Fautore & Amico nostro æstimatissimo, cujus sequentia nobis irrefragabilis testimonii loco sunt:

*Vitam hanc, ille scribit, alias miseram. si quis multa felicitate præditam habuerit, eamque, æternam animæ felicitatem non negligens, feliciter transegerit, is tandem vere felix erit dicendus. Id autem omni jure de b. Defuncta, cujus Exequiæ hodie parantur, pronuntiandum est. Vitam ejus varii generis felicitate a summa Providentia fuisse refertam, quis quæso est cui non constet? Curam autem animæ immortalis non posthabitam fuisse, neque studium melioris vitæ neglectum, id multi mecum testabuntur. Avida semper fuit b. Defun-*

*Defuncta verbi divini, & sedem in Aede Mariana temporibus cultui divino dicatis, nunquam reliquit vacuam, nisi summa necessitate coacta. Inscia voluptatum, pravarumque, quibus multi abripiuntur, hujus seculi consuetudinum, vitam agebat tranquillam ac quietam, cum omni pietate & honestate. Timor erga DEum, Candor erga proximum, & quæ sunt alia virtutum exempla, illi in totius vitæ decursu semper curæ cordique fuerunt. Ad ultimum vero vitæ spatium quod attinet, illud quoque non sine fidei ac pietatis fuit documentis. Placuit summo Numini Beatam nostram antequam è mundo egrederetur plurimis exercere calamitatibus. Sed quæ haud mediocri salutaris doctrinæ cognitione erat instructa, piis etiam meditationibus & ardentissimis suspiriis omnes corporis molestias strenue vincere ex Spiritus sancti gratia conabatur. Quemadmodum & adhortationes, quas ex verbi divini Thesaurò subinde supeditabam, multa cum animi adplicatione accipiebat. Concedebatur aliquando à benignitate divina misere decumbenti, respirationis intervallum, ex quo proVectiorem sibi augurabatur ætatem. Sed cum invalescente morbo, ultimum vitæ terminum propius accedere sentiret, voluntati quoque divinæ se cordicitus commisit, nil magis precata, quam analysin beatam. Reminiscens humanæ corruptionis, de reconciliatione cum DEo maxime fuit sollicita. Proinde vocatus proximo ante Pentecostis Festum die accessi, & animum contritionis ac fiduciæ in meritum servatoris plenum absolute exhilaravi ministeriali. Cupide desiderabat afflicta sacræ cænæ usum, tanto autem sacramento se indignam judicans; Sed commonefacta, dignitatem in nobis esse nullam, nisi quæ ex plenitudine gratiæ fide apprehensa proficisceretur, magno cum fidei desiderio multaque veneratione Cænam accepit. Accepta hacce spiritali medicina quod reliquum fuit vitæ, spretis mundanis, sub spe & patientia finivit, Deumque precibus suis ita defatigans, ut ergastulum solveret, prævia benedictione placide obdormivit. Dormiat secure ad letam usque corporis resurrectionem & cum anima reduntionem.*


Ita pie vixit, ita vivere feliciter beateque desit, cujus nunc funus ducemus, omnibus olim æstimata NIEMANNIA, quam inter nos in sexu suo virtutum fœminas omnis ætatis decentium quasi speculum sese stitisse, haud immerito dixerimus. Habent igitur, quod nunc, cum e conspectu nostro decessit, lugeant Filia, Gener, atque





Nepotes. Habent, quod doleant, qui sanguine pariter ac affinitatis vinculo ipsi juncti fuerunt. Habebunt etiam, quod imitentur, olim quæ sunt illius ex sanguine descensuræ. Sed habent etiam Relicti, quod eos consoletur, & de quo tam sibi ipsis, quam pie DEFUNCTÆ gratulentur. Sibi quidem, quoniam diutius ipsis, ac aliis, ut ne plerisque dicam, multis ea felicitas contigit, quod hacce SUA frui poterint, quippe quæ priorem illum a divino Vate, *Psal. XC. 10.* dictum vitæ terminum quadriennio supergressa, septuagesimum quartum ætatis annum agens demum ultimum ipsis, Valetè! dixit. Illi autem, quia in vera fide decedens mortis pœnam non sensit, sed a laboribus in requiem deducta est. Requiescit ergo anima illius in cœlo, requiescat & corpus, ad beatam olim anastasin usque, in terræ gremio. Cui cum illud hodie committendum, ut ipsum honorifico comitatu vestro haud dedignemini, Vos, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! quo par est, humanitatis omnis officio rogatos velim, Vos pariter ac memet ipsum admonens, ut mortuæ funus comitantes nobis non minus imminentem mortem ita meditemur, ut ita semper vivamus, ne ceu pœnam justi Judicis eam reformidare habeamus, sed tanquam benevoli Patris beneficium expectare, quin anhelare & optare queamus. Id quod ille, cujus in manibus dies nostri sunt, per Christum, Dominum nostrum, clementissime faxit.

P. P. sub Sigillo Reſtorali Academico,  
die II. Junii, An. MDCCXXXIX.


Conventus adornabitur in æde Mariana, hora I. merid.







LBMV Schwerin 33  
000 195 545





*Avum* Paternæ lineæ agnovit Virum eximium & præstantissi-  
Osnabrugæ Gvestphalorum Civem florentissimum, DIETERI-  
DORCK. *Aviam* autem ejusdem lineæ salutavit à pietate  
usque celebratam Fœminam, AGNETAM HÖRSCHEKE.

in linea materna venerata est *Avum*, Virum Prænobiliss. Ampliss.  
Sultiss. LEVINUM BATTUM, J. V. D. & Vicarium ejusdem  
Academiâ Professore fulgidissimum, Dicafterii Provincial. ut  
l. Consistorii Advocatum & Procuratorem dexterrimum. Qui  
li sibi fœdere junctam, matronalium virtutum ornamentis con-  
Nobilissimamque, CATHARINAM PANCKLOVIAM, De-  
Nostræ *Aviam* maternam conciliavit.

A laudatis hisce Parentibus ortum BEATA traxit, tempore lo-  
upra jam indicatis. At quoniam carnalis nostra nativitas ad  
eternam nos ducere non potest, quin potius, juxta superiora,  
am temporali, quam æternæ, nos subjiciat, idcirco provida Pa-  
ejus cura spiritualem ipsius regenerationem sine morâ promo-  
n intermisit. Neque, cum illa paulatim adolescere inciperet,  
d ejus cum temporale, tum æternum bonum commodumque  
t. neq̄lexit. Præcipuè Parentes optimi sollicitudinem impen-

hæc sua filiola dilectissima primis statim ætatis an-  
fundamenta non modò doceretur, sed amor etiam  
a omni non fucatâ, qualis hodie, proh ! multorum  
illius instillaretur. Quod cum feliciter succederet,  
Genitrix, ut ad curas etiam rerum domesticarum  
gotiaque rei familiaris tractanda tempestivè manu-  
lum consultum duxit, sed &, suo proprio illi exem-  
icite non minus, ac solerter curavit, quibus NO-  
it adsueta deditaque, ut in illis, senium licet jam  
electationem inveniret, contestantibus, qui propio-  
otitiam fuere. Ceteræ quoque virginæ virtutes  
i defuerint, ut iis potius talem in modum exornata  
multis aliis esse posset exemplo.

tes animum illi, laudati jam in rubro, Mariti sui,  
ursum in DEO defuncti, DN. MICHAELIS NIE-  
oris tum apud nos florentissimi, postmodum Sena-  
i, de publicâ re perbenè meriti, conciliaverant, ut  
iculo copulandam expeteret. Cui proinde nuptum  
est, Annoque MDCLXXXV. d. 29. Octobr. inter-  
istianorum sacerdotali benedictione, junctâ. Con-  
aveque cum eo, Anno Seculi nostri vicesimo nono  
per quatuor annos ultra decem lustra, conjugium  
inâ bonitate beneficiis beatum. Nec improle fuit  
ATA filium enixa est An. insequente MDCLXXXVI,  
fti, cui, quod & Genitor gerebat, JOACHIMI præ-  
avacro impositum, ast ætatem floridam agentem,  
s, ejusdem mensis Augusti, adeoque annis octode-  
superatis, beatâ analysi è mortalium numero exem-  
nde quadriennio, peperit & filiam, An. MDCXC. d.  
ie, DEI gratia, superstitem, tristeque dulcissimæ Ma-

B 2

tri

